

nem, an obligatio iudicio falso pariatur? ad vitam multum prodesse putamus. In quamcunque enim partem statuatur, quid valere poterit, ad impediendos hos, aut impellendos, qui errore huiusmodi ducuntur: cum, in quo errant, nesciant se errare, adeoque non possint vlllo philosophiae in hoc genere decreto moueri.

56. Illud autem recte profecto praecipitur, cum dicunt, de quo dubites, officione consentaneum sit, nec ne, id omnino non esse faciendum. Nam si dubites, et tamen facias, primo iudicio esse, te periculo contra officium faciendi non moueri, deinde, in eo, quantum in te sit, officium violatum esse.

57. Sed quoniam omnis erroris causa et genitrix ignorantia est, haec etiam quam habeat ad culpam vim, paucis videamus. Duo autem eius genera faciunt, alterum, quod vinci possit et vitari, vniue adeo ignauiae, aut negligentiae, tribuendum sit, turpe illud profecto minimeque excusandum: alterum autem huiusmodi, vt nulla ratione caueri queat, atque eam ob causam, si non innocens omninoque non puniendum, leuius tamen priori, et aliqua saltem excusatione dignum,

58. Duae autem res hoc loco disceptantur: prima, possitne ignorantia huius posterioris generis esse? nam id ipsum ambigitur: altera, culpae vacua sit, nec ne? In quo quidem vtroque iudicando quid difficultatis, in hac quidem philosophiae parte, sit, non intelligo. Quis enim, primo, non videt, in genere morum nihil ignorari ita posse, vt repugnet, idem quod ignoratur, ab eodem sciri,

*Ernesti Initia.*

E e •

qui